Hoc fecit initium signorum Iesus
in Cana Galilææ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

1 Núptiæ factæ sunt in Cana Galiláeæ,
et erat mater Iesu ibi;
2 vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.
3 Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum:
«Vinum non habent».
4 Et dicit ei Iesus:
«Quid mihi et tibi, múlier?
Nondum venit hora mea».
5 Dicit mater eius minístris:
«Quodcúmque díxerit vobis, fácite».

6 Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ
secúndum purificatiónem Iudæórum,
capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas.
7 Dicit eis Iesus:
«Impléte hýdrias aqua».
Et implevérunt eas usque ad summum.
8 Et dicit eis:
«Hauríte nunc et ferte architriclíno».
Illi autem tulérunt.
9 Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam
et non sciébat unde esset,
minístri autem sciébant,
qui hauríerant aquam,
vocat sponsum architriclínus
10 et dicit ei:
«Omnis homo primum bonum vinum ponit
et, cum inebriáti fúerint,

id quod detérius est;
tu servásti bonum vinum usque adhuc».
11 Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ
et manifestávit glóriam suam,
et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.